



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0346

Sabato 14.05.2016

Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale alla celebrazione del Congresso Eucaristico Nazionale della Bielorussia (Grodno, 24-26 maggio 2016)

In data 26 marzo 2016, è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Zenon Grocholewski, Prefetto emerito della Congregazione per l'Educazione Cattolica, quale Inviato Speciale del Santo Padre al Congresso Eucaristico Nazionale della Bielorussia, che sarà celebrato a Grodno dal 24 al 26 maggio 2016, nel XXV anniversario dell'erezione della Diocesi.

La Missione Pontificia che accompagnerà l'Inviato Speciale è composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Don Jan Kuczyński, Vicario Episcopale per la regione di Grodno e Parroco della Cattedrale di Grodno;
- Rev.do Don Roman Raczko, Rettore del Seminario Maggiore di Grodno.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Zenon Grocholewski:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro
ZENONI S.R.E. Cardinali GROCHOLEWSKI
Praefecto Emerito Congregationis de Institutione Catholica

Cotidie Christum in Sanctissimo Sacramento digne accipimus pieque adoramus, «ne paulisper quidem oblivisci possumus Eucharistiam esse peculiare bonum universae Ecclesiae. Maximum immo donum est, quod in gratiae Sacramentique ordine Sponsus Divinus suae tradidit traditque continenter Sponsae. (...) Fideles itaque (...) oportet nos manere erga ea quae illa in se exprimit necnon ad ea quae a nobis exposcit: gratiarum scilicet actionem» (S. Ioannes Paulus II, *Dominicae Cena*e, 12).

Nemini profecto latet quantas saevitias Christi assecrae in Europae orientali parte ob communistarum subversionem, alterum bellum mondiale atque Sovieticum regimen vicesimo saeculo perpassi sint. Laudabile

ideo laetantes comperimus consilium quod Pastorum et Christifidelium magnam gratitudinem Domino manifestat, XXV annis post religiosam libertatem in Bielorussia restitutam atque dioecesim Grodnensem Latinorum constitutam, proximo mense Maio ibidem Congressum Eucharisticum Nationalem celebrandi. Plurima revera hoc temporis spatio illa in regione Dei mirabilia facta sunt: quot homines reconciliati sunt cum Deo et proximo; quot fidem catholicam sunt amplexi baptismi sacramentum suscipientes; quot iuvenes Christi vocem audientes eligerunt religiosam vocationem vel Seminarium ingressi sunt, Eius discipuli et ministri facti! De his omnibus igitur gratias oportet agamus munificentissimo Salvatori. Sed opus inceptum certo sedulo proseguendum est, quoniam adhuc tot fratres Christum ignorant eiusque Evangelii expectant praecones. «Hoc bonum est et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire» (1 Tim 2,3-4).

Ut autem dictus Congressus, qui haud dubio magni est momenti pro Ecclesia catholica in Bielorussia, congrua perficiatur sollemnitate, Venerabilis Frater Alexander Kaszkiewicz, Episcopus Grodnensis Latinorum, humiliter postulavit ut illuc eminentem Praesulem mitteremus ad Personam Nostram gerendam. Quam ob rem, magna permoti fiducia et caritate, ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus, quem aptum ad hoc munus explendum aestimamus, cum iam antea deditam noverimus sollertem actuositatem tuam pro universalis Ecclesiae utilitate, teque Missum Extraordinarium Nostrum ad Congressum Eucharisticum Nationalem constituimus Bielorussiae diebus XXIV-XXVI proximi mensis Maii Grodnensi in urbe celebrandum. Liturgicis igitur celebrationibus Nostro nomine praesidebis Nostramque benignam adstantibus significabis salutationem, praesertim Venerabili Fratri Alexandro Kaszkiewicz, primo huius dioecesis Episcopo, una cum carissima eius Communitate argenteum constitutionis celebranti iubilaeum. Verba Nostrae reverentiae et caritatis comunica etiam publicis auctoritatibus cunctisque aliis Christi nomen sincero corde confitentibus. Mens autem praecipue Nostra est ut cuncti Pastores doceant Christifideles quo Eucharisticam celebrationem maxime Dominico die conferta multitudo partecipient, reconciliationis sacramento abluantur, verbo Dei ibidem et sacro convivio reficiantur. Quos verum hortamur ut sacerdotes suos plurimi existiment, qui a Domino electi sunt et Eucharistiae ministri effecti, eorum spiritale opus ardentibus orationibus et oblationibus sustineant novasque ad hoc sublime ministerium foveant vocationes, potissimum nunc tota cum Ecclesia Misericordiae Annum devote celebrantes.

Legationem tuam totumque Congressum enixe committimus validae intercessioni Beatissimae Virginis Mariae omniumque Sanctorum huius populi, praesertim beatarum martyrum Mariae Stellae a SS. Sacramento et X Sociarum, quae hac in terra pro Christi amore supremum obtulerunt testimonium. Benedictionem inde Apostolicam, caelestis gratiae nuntiam et propensae Nostrae voluntatis testem, quam tibi imprimis libenter impertimus, volumus nomine Nostro cunctis Pastoribus, religiosis viris et mulieribus, Christifidelibus laicis, civilibus auctoritatibus et omnibus Congressus Eucharistici participantibus peramanter largiaris.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIII mensis Aprilis, anno MMXVI, Pontificatus Nostri quarto.

FRANCISCUS

[00805-LA.01] [Testo originale: Latino]
